

*Pl. lentiginosa* Lehm. et Krzl. n. sp.; caulibus valde approximatis densis, vaginis 3 amplis ochreatis supra retusis pellucidis altiore quoque majore, folio longe petiolato lanceolato acuto, pedunculo 4,5 cm lamina ad 7 cm longa 4 cm lata satis firma, floribus plerumque 2—3 scil. binis pedunculis 1—2-bifloris, pedicellis satis longis scabris ipsis et ovariiis nigro-verrucosis. Sepalo dorsali oblongo acuto, lateralibus in mentum rotundatum incurvum ultra dimidium coalitis apicibus liberis acutis, petalis nanis obovatis v. rectius oblique rhombeis angulis rotundatis obtusis, labello parvo angustissimo brevi, unguiculato antice incrassato pulvinari; gynostemio leviter curvato utrinque acutato. — Flores pallide lutei 2—3 mm longi tota superficie varicosi. — Decembri.

Costa Rica: Epiphytica in silvis densis humidis interdum fere terrestri circa San Isidro, in declivitatibus occidentalibus montis ignivomi Irazú, 2000 m (n. 4750!).

Habitu *Pl. tribuloidi* Lindl. proxima sed altior et labello quam maxime diversa, flores lutei et non ut in *Pl. tribuloide* intense rubri.